



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 106. Alii autem palmas in faciem eius dederunt. v. 67.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

fervare potest in nominibus, crucibus, imaginibus aliisque omnibus Dei mysteriis & Ecclesie memorialibus. Sed relictis his perditionis filiis concludo dicendo pro mea parte: Ego sum qui te toties & millies peccatis meis, ô Domine, contudi, in faciem spui & defœdavi, ô benignissime Iesu cuius miserationes super omnia opera tua sunt, aperi manum tuam & reverbera me intus & interius, ut in æternum parcas, ut agnoscam, quem ita percusserim, & defœdatam pœnitentiam agendo millies, & millies pectus meum cum dolore, uti publicanus, contundendo.

§. 106. *Alii autem palmas in faciem eius dederunt. v. 67.*

Nec satis erat percutere Christum colaphis, & totum corpus eius onerare verberibus & pugnis, sed, quod virum honestum magis cruciat, eum quoque palmis in facie exceperunt, quod idem est, ac uti mendacem tractare, & nullius frugi hominem habere: Eheu quoniam redactus es? mi Iesu! facies tua benedicta, quam Angeli & cœli: es desiderant omni momento aspiceret, & pro sua felicitate intueri nunc spuitis, nunc colaphis, nunc palmis oneratur & defœdatur! Et, qui es ipsa veritas & iustitia, iam habetis & tractaris pro vilissimo mendace & impostore falso propheta &c. certe vix credere aulim purum hominem tantum ignominiam & vilitatem in se perferre posse sine contradictione & vindicta, unde vel ex hac patientia agnosco, quod Deus sis & ipsa perfectio.

O Superba anima mea, intuere nunc Deum tuum, Redemptorem tuum largitorem bonorum omnium, quanta ignominia afficitur pro te. En quas tu meruisti plagas, ille modo suffert. Indignaris forte Iudæis, & non consideras quantum tu quotidie per gravia & innumerabilia tua peccata hanc faciem Dei sanctissimam & immaculatam defœdas, colaphis cœdis & palmis, quasi mendacem tractas? mendax non est ille nec fuit, sed tu, tuas fallacias, tuos dolos ille luit. In illo apparet quid in te debuerit aut debeat fieri secundum iustitiam. Ora igitur eius clementiam pro venia, & cum illo te humilia in omnibus perferendo Dei misericordem circa te Iustitiam.

§. 107. *Dicentes: propheta nunc Christus quis est qui te percussit. v. 68.*

Præter innumeras alias vexationes & tormenta opprobriaq; etiam illudebant ei, quasi se prophetam esse dixisset falsò; unde velantes faciem Iesu, iterum petulanter percutiunt colaphizant, tridunt, trahunt, & scurriliter experientiam captant, an sit propheta, dicentes: *Propheta nunc Christus quis est qui te percussit*, quasi dicerent: tu alias dixisti te prophetam, nunc ostende te prophetam esse. Nomina percussores tuos, & credemus tibi, alias te uti mendacem, & seductorem populi tractabimus.

Sic